



G Vilhelmus Augustæ Vindelicorū natus est Anno circiter 1530. Is cum fœlici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, atq; prima fundamēta faciliè percepit. Inde sese ad varias academias contulit, atq; artibus & philosophiæ magna diligentia incubuit. In primis uerò Latinæ & Græcæ linguę usum sibi familiarissimum reddidit. Postea anno circiter 1560 ad gymnasium Basiliense accessit, atq; doctissimis præceptoribus usus præclaram sibi eruditionem comparauit. Hinc etiã factum ut ibidem omnium cōsensu liberalium artium Magister crearetur. Itaq; cum eius eruditio passim innotesceret, Heydelbergam uocatur, atq;

in eo gymnasio Græcæ linguæ professor constituitur. Eam functionem Guilhelmus grato animo suscepit, atq; auditoribus optimos quosq; authores magna industria explicauit. Quin etiã Plutarchi uitas & quædam ex Moralibus in Latinam linguam transtulit, atq; suis annotationibus illustrauit. pari ratione Georgij Cedreni Historiam uertit, & eam suis scholijs explicatam Basileæ in publicum edidit. Itaq; factum ut sua eruditione præclarum sibi nomen compararit, ac etiamnum Heydelbergensem Academiam plurimum exornet. lo. Op.